

quod assignacione michi facta, per venerabilem patrem dominum Nicolaum Diuina prouidencia archiepiscopum vpsalensem, de fundo iuxta ecclesiam sancte trinitatis cum domibus tunc ibidem existentibus, pro meis vsibus et commodo ad dies vite mee, Ego Cuiuslibet Calumpnie occasione precauere volens, Accessi ad prefectum et consules Ciuitatis vpsalensis, et in Communi placito ipsorum Recognoui premisse concessionis gratiam michi factam, et volens beneficencie michi inpense grata fore contuli Ecclesie vpsalensi, domos quas tempore habitacionis mee in dicto fundo contingeret me construere et eciam vtensilia que illic existerent tempore mortis mee, quam donacionem ex nunc Ratifico, Ratamque et firmam inmutabiliter esse volo, In Cuius Rei testimonium sigillum meum presenti littere vna cum sigillis domini Andree prepositi, et Ramburgis filie mee est appensum, Actum Apud Condestum, Anno domini, Millesimo, Trecentesimo, secundo, Octauo kalendas decembris.

Sigillen, N:o 1 och 2 skadade, 3 bortfallet.

1373.

1302 d. 28 Nov.

Condestir.

Samma RAMFRIDS Testamentariska anordning af penningar till kyrkor och kloster m. m., till hvilkas utbetalning gården Hwalfstader anslås, hvarjemte grafställe utses antingen i Upsala eller Skara Domkyrka.

A. 4.

In Nomine domini amen, Anno Natiuitatis Eiusdem, M°.C°.C°.C°. secundo, Quarto kalendas Decembris, Ego RAMFRIDIS Relicta domini Israelis condam legiferi vplandie debilis aliquantulum corpore Sed mente per dei gratiam, compos et sana per omnia, saluti anime mee desiderans vtiliter prouidere, De bonis michi a deo concessis, Testamentum meum condo et ordino in hunc modum. In primis Dilectum filium meum Ragnwaldum, et karissimas filias meas michi instituo in bonis meis successores legitimos et heredes, Obligo autem omnia bona mea pro debitis meis si qua post mortem meam exstiterint persoluendis, volens vt illa absque dilacione qualibet persoluantur, In Ecclesia autem vpsalensi, si in superiori swecia contingat me mori, eligo in Cappella beati Nicolai, iuxta dilectum Maritum meum sepulturam, ad cuius Cappelle structuram, lego Quadraginta Marchas denariorum vsualis monete, In quo casu lego Ecclesie beate virginis skaris, Tres marchas denariorum, Si autem in vesgocia contingat me decedere, eligo iuxta Patrem meum in Ecclesia beate virginis skaris sepeliri, et tunc lego illi Ecclesie Quadraginta marchas denariorum, dicte autem Cappelle beati Nicolaj tunc lego, Tres Marchas denariorum, Jtem ad edificacionem domus dei vpsalie, lego decem marchas denariorum, ffratribus minoribus ibidem, decem marchas denariorum, Jtem Ecclesie beate virginis ibidem, vnam marcham de-

nar. Jtem Ecclesie sancte Trinitatis, vnam marcham denar., Jtem Ecclesie beati Petri, vnam marcham denar., Fratribus predicatoribus siktonie, decem marchas denar., Jtem hospitali Enecopensi duas marchas denar. Jtem fratribus minoribus stokholmis, duas marchas denar., Jtem monasterio sancte Clare ibidem, duas Marchas denar., Jtem fratribus predicatoribus skaris, Tres marchas denar., Jtem fratribus minoribus ibidem, decem Marchas denariorum, Jtem monasterio dominarum in gudhem, decem marchas denar., Jtem monasterio monachorum in wærnem, Tres marchas denariorum, Cuilibet ecclesie in qua habeo curiam lego, duas marchas denar. et Rectori cuiuslibet ecclesie vnam marcham denar., Jtem filie villici mei dicti skakla que defectum in alio patitur brachio, lego viginti Marchas denar., ad hoc quod cum dictis denarijs recipiatur in monasterio gudhem in sororem, ad premissorumolucionem specialiter deputo et obligo Curiam meam, hwalffstadir cum omnibus bonis mobilibus et immobilibus ad dictam Curiam spectantibus, volens Curiam predictam pro legatis obligatam, sub regimine exequutorum meorum manere, et si heredes mei infra annum eandem non redimerint, Tunc exequutores mei elapso anno, ius habeant eam vendendi ad soluendum legata, et quod residuum fuerit ipsis heredibus committatur, Exequutores autem huius testamenti mei tales constituo, facio, et peto, videlicet venerabiles Patres, dominos, Nicolaum diuina prouidencia archiepiscopum vpsalensem, et brýniulphum eadem gracia Episcopum skarensensem, Dilectum consanguineum meum, dominum. Th. knutsson illustris Regis swecie marskalkum, et dominum Andream prepositum vpsalensem, supplicans vt hanc meam voluntatem, et ordinacionem complere velint, et exequi propter deum, Quod si omnes exequutores a me constituti presens testamentum meum noluerint, uel commode non poterint exequi. volo quod ius exequendi ad eum, uel ad eos pertineat, qui hoc voluerit facere propter deum, Testes autem huius testamenti mei, specialiter in testimonium vocati, et rogati fuerunt, videlicet, dominus Thorbernus Rector Ecclesie Parochialis Lenum, et discreti viri Jacobus, Jærlerus, et Jngiuestus omnes de villa brunnum, et holmgerus de villa vatholmum, cum vicino suo hægwido fastulphus vicinus presbiteri memoratj, et dilectus famulus meus bero, Quod si premissa ordinacio mea, iure testamenti non valet, valeat iure quocumque, ordinacionis cuiuslibet extreme voluntatis, In cuius rei testimonium presens scriptum meo sigillo sigillauj, et appensione sigilli venerabilis patris domini Nicolai dei gracia archiepiscopi vpsalensis, et dilecte filie mee Ranburgis, nec non Nobilium et discretorum dominorum, videlicet, Magistri andree prepositi vpsalensis, Magni gregorisson, birgeri pætærson legiferi vplandie, Rødh kældorson, benedicti booson, øari, et Nicolai scolasticj canonicorum, instancia qua possum postulo roborari, Jtem reuoco presenti scripto omnia testamenta

prius a me facta, quibuscumque testibus, uel sigillis sint vallata, Actum apud Curiam filie mee Ranburgis Condestir, anno et die prenotatis.

Sigillen N:o 1, 3, 5, 9, 10 skadade, de öfriga bortfallna, remsorna qvar.

1374.

1302 d. 5 Dec.

Skeninge.

ALVERS af Falsberg Gåfvobref på en jordlott och hälften af all sin lösegendom till Wreta kloster, för sin och sin hustrus grafplats, med förbehåll af dispositionsrätt deröfver i sin lifstid, och med vilkor, att hans hustru skulle efter hans död af klostret njuta kläder och underhåll.

A. 3. t.

Vniuersis presens scriptum cernentibus. ALUERUS de falsbyærg. Salutem in domino sempiternam. Quoniam pleraque que aguntur. ab humana memoria. facilius elabuntur. nisi litterarum testimonio roborentur. tenore litterarum dignum duxi. presentibus et posteris non latere. Set cognitum fieri euidenter. me sextam partem terre de attung cum dimidietate omnium bonorum meorum mobilium. monialibus vrætøm. pro sepultura mea. nec non dilecte vxoris mee. contulisse. hac condicione interiecta. silicet. quod si me prius mori contigerit. hec mea donacio. firma et stabilis habeatur. vxorique mee predilecte. post mortem meam. victus et vestitus debeant omnibus diebus vite sue. de bonis earundem monialium ministrari. Si autem ipsam prius mori contigerit. volo. vt predicta donacio ad usus meos redeat. disponenda. pro mee libito voluntatis. In cuius testimonium. Siggilla nobilium. Domini ormeri carlson. Nicolai prioris skæningie. Siggillumque ciuitatis eiusdem. Domini thyrgeri de biælbo. valdemari de siundæthorppæ. folkuidi de faldhungi. presentibus sunt appensa. Datum skæningie. anno domini. M°.CCC°. Secundo. In vigilia beati nicolai.

Sigillen N:o 1, 2 och 6 borta, 3 mycket skadadt, 4 och 5 nästan hela.

1375.

1302 d. 18 Dec.

Rom.

Påfven BONIFACIUS VIII:s Bulla till Cistercienser-Orden, om befrielse ifrån all tionde och afgift till någon annan af deras jord, äfven om de lemna den åt andra att odla.

A. r. d. 13 \*).

BONIFACIUS episcopus seruus seruorum dei, Dilectis filiis, abbatibus, abbatissis, et conuentibus ordinis Cýsterciensis, tam presentibus quam futuris,

\*) Utur en af Biskop Guudo d. 19 Sept. 1303 utgifven vidimation, åter vidimerad af 2:ne Prostar på Gothland d. 28 Oct. 1338.